

etatione occasionaria eam declarant, plurimi autem ex iisdem laudatum Thema altioris silentii supparo involvunt. Unde & meae tenuitati vitio non vertetur, si non omnia accurate, & secundum *ἀνεπίβητος* erunt elaborata, aut si forsan in obambulatione viae minus trita ac calcatae non accurate processero.

§. II.

Antequam verò in ipsam rei arcem penitus, introspiciam, necessarium mihi videtur nonnulla praemittere, quae ipsam tractationem reddant magis perspicuam, id quod praestat natalium ejus inquisitio. Quamvis enim nominis ortus hic à multis negligatur, eo quod jam supponatur velut in propatulo, unde causa moralis appellationem habeat; Nihilominus tamen, ne videamur quicquam omittere, quod ratio Thematis nostri poscit, evolvam breviuscule, & tribus quasi verbis ipsam vocis Originem; Quum enim Dissertationis nostrae nomen Objectum sit, complexum, utriusque genethliaca flagitantur. Dicitur (1.) *Causa*, quae vox tradente *Becmanno de Origine Ling. Lat.* quasi *Cavissa* vel *cauta* dicitur, quae tamen explicatio potius allusionem, quam veram redolet derivationem; Communiter autem, *causa* à *Causando* derivatur, quia *causatur*, & producit effectum, aut ita se gerit, ut effectus producat. Id quod etiam de nostra causa dicendum esse videtur. (2.) *Moralis* vocitatur à *moribus*, quia ut ait *Rudrauff Diss. de Causa Morali*, secundum Prudentum aetimationem & morem ei imputatur effectus, & in genere morum causalitatem exercet. Unde à modo agendi non ab ipso effectu indepta est nomen.

§. III.

Ambiguitati quoque *Causam Moralem* cerno obnoxiam, variasque animadverto ejus acceptiones, quae tamen compendii gratia ad duas revocari possunt classes. Vel enim sumitur (1.) *improprie*, pro eadem causa, quae libere agit, & ex *ωεγαίρεσις* vel deliberato consilio, quae ratione confunditur cum causa libera; quae positis omnibus ad agendum requisitis ita agit, ut possit non agere, & iisdem requisitis ita agit hoc, ut in ejus potestate sit contrarium vel saltem aliud agere. Sed *Causa Moralis* latius patere videtur, quam *Causa libera*. Sic v.g. quemadmodum phantasia excitat locomotivam potentiam, ut Spiritus mirum in modum